



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Pro Puero Concertationem Theologicam auspicante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

PRO PUERO

Concertationem Theologicam auspicante.

Quæ societas est Pueris cum grandioribus maturâ jam ætate Viris ; & quod esse possit incitiæ nostræ cum vestrâ eruditione commercium, ut non modò in hoc sacrosanctæ Theologiæ domicilium nobis aditus pateat, sed doctissimis difficillimisque concertationibus veluti præferre debeamus? Mihi certè perfructum hujus institutionis consilium, visum est hoc præcipue sapientissimos antiqui moris Principes, ut libere in Theologis imitandam suis in studiis atque disputationibus ætatis nostræ naturam indolentem proponerent, à quâ deflectere sine grandi periculo non liceret.

Est enim nobis Pueris insitus quidam candoris & veritatis amor, ex quo Deus ipse, si quæ divinis Litteris credimus, suam perficere laudem ambiat. Per nos fuci expers ac cerussæ nuda pariter loquitur, & ambages ac tricas perosa neque lit quemquam, nec adulari cuiquam didicit. Neque pariter Theologi cujusvis præcipua laus: hoc illi decus, tanquam summum gloriæ apicem, contemnetur; ut vel levissimas Erroris umbras non amoveat à se modò, sed veritati amicus uni captivam eandem in injustitiâ detinendam esse turpis delator nunquam existimet.

Quid de meâ illâ conjecturâ sentiendum videatur, tuum judicium, sapientissime Magister noster Præses, tua existimatio sit. Ego interea præ-

pro commissâ mihi provinciâ propositam Quæ-
stionem aggredior in affirmantem & negantem.
In affirmantem quidem sic, &c. In negantem
verò sic, &c.

A L I A

*Pro Puero inter Melitenses Equites
adscripto.*

Mirum vobis fortasse videbitur, Magistri
nostri sapientissimi, quòd in hunc locum,
ubi non armis, sed ingenio & eruditione
tota res peragitur, ego tam alieno à vestris mo-
ribus habitu, videar ad dimicandum paratior,
quàm ad disputandum prodiisse. Nihil tamen noster
hic ensis vos terreat: qui me si ab hujus con-
certationis aditu, tanquam extraneum, arceat, id
saltem exorabit Crux illa, quam gerimus, ut inter
vos vestrisque adèd in subselliis locum aliquem
promereri possim.

Est enim vestrum inter amplissimum, & eum,
in quem adscripti sumus, Ordinem affinitas tanta,
tanta cognatio; ut alter alterius opem poscere,
& amicè conjurare videatur: adèd mutuis &
communibus uterque officiis propugnandæ Fidei,
tutandæ Ecclesiæ, Religioni fovendæ adlaborat.
Vos, Ecclesiam qui regant, Pastores educatis ac
Doctores: Nos, qui pro eadem dimicent, Milites
exercemus. Vos, nequa germanam Fidem cor-
ruptelæ labes inficiat, satagitis: Nos, ne quid ea-
dem ab hostibus suis detrimenti capiat, procura-
mus. Vos intestinis bellis, nos exteris provide-